


LVNÆ DIE 13 M. FEBRVARII A. 2012

Idibus Februariis a. MMXII

I 6 6

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

SPES NOVA IN ACADEMIA ROMANA

In Melissæ fasciculo 24, die 2 m. Maii a. 1988 edito, I symbolam divulgavi sub hoc titulo : « Spes nova in Academia Romana ». Ab anno enim 1985 usque annum 1989 Dr. Cælestem Eichenseer Romam ducere solebam, ut Academiæ, quæ adhuc vocabatur « Academia Latinitati inter omnes gentes fovendæ », sessionem mense Aprili habitam participaret ; tunc antemeridiano tempore habebatur sessionis pars administrativa, cui solis Academiæ sodalibus interesse licebat ; postmeridiano autem tempore fiebant publicæ acroases Latinæ. Sic ab eo tempore factum est, ut multos Academiæ sodales convenirem et quid ibi gereretur comperirem.

Cum illuc primum veni, miratus sum quod sessiones Italice, non Latine habebantur ; solæ acroases erant Latinæ. Interrogavi Professore Schilling, Francogallum, qui inter moderatores fuerat consociationis *Vitæ Latinæ*, anno 1957 in Francogallia ad provehendum linguæ Latinæ usum creatæ ; qui mihi respondit linguam Italicam primam filiam esse linguæ Latinæ ! Tunc temporis Academia pars erat Nationalis Instituti Studiis Romanis Provehendis atque eundem præsidem habebat ac Institutum. Instituti præses Petrus Romanelli, clarus archæologus, qui anno 1967 Academiam in Instituti gremio creare voluerat, linguam Latinam callebat, consociationem *Vitam Latinam* participaverat et valde favebat Latinitati Vivæ. Cum anno 1981 vita functus est, eius successores iam non callebant linguam Latinam neque Vivæ Latinitati favebant ; hac de causa usus linguæ Italicæ in sessiones inductus est.

Scripseram in Melissa « Spes nova in Academia », quia Cæleste Eichenseer vehementer reprehendente nec ipse satis Italice sciente, lingua Latina in sessionibus iterum adhibita est et documenta iterum Latine scripta. In sessione anni 1988 Hispanus clericusque sodalis Iosephus Maria Mir, qui in Hispania optimi periodici Latini, c.t. *Palæstra Latina*, moderator diu fuerat, rettulit de collegio trium virorum, quibus Academia munus dederat ut « verbis novis proponendis » operam darent ; infeliciter fassus est sibi non licuisse huius collegii viros cogere, quare, nulla disceptatione facta, se nihil referre posse. Certe usus linguæ Latinæ restitutus erat, at inertix morbus non sanabatur.

Academiæ sodales, cum e compluribus civitatibus essent oriundi, magis magisque moleste ferebant se ab Instituto omnino pendere ; quare ab anno 1989 Academia, quæ tunc nomen « Academia Latinitati Fovendæ » sibi dedit, proprium habuit statutum et præsidem ; vinculum tamen servabat cum Instituto, in cuius ædibus, iuxta plateam Equitum Melitensium in monte Aventino sitis, sedem habebat.

Belga litterarum Latinarum professor Iosephus IJsewijn, unus ex Academiæ conditoribus, qui usui linguæ Latinæ initio favebat multasque symbolas Latinas in *Vitæ Latinæ* periodico divulgaverat, sententiam paulatim mutaverat neque iam sermoni Latino favebat. Eius pondus in Academia crevit, cum anno 1990 suasit ut conventus in Belgica haberetur, flagitans tamen ut linguis vernaculis liceret in acroasibus uti ; congregare enim volebat homines Antiquitatis, Medii Ævi litterarumque neolatarum peritos, quod ei maioris momenti videbatur quam Latine loqui. Quamquam obstabant præsertim Cælestis Eichenseer, Iosephus Maria Mir, Tuomo Pekkanen, Michael von Albrecht et præses Vincentius Ussani, in conventu Belgico anno 1993 Lovanii et Antverpiæ instituto multæ acroases factæ sunt linguis vernaculis.

Impellente Iosepho IJsewijn, statutum mutatum est anno 1995 ; primum usus linguarum vernacularum inductus est, dein solis professoribus academicis licuit fieri sodalibus ordinariis, denique præses oportuit esset Italus.

Conventus anni 1997 habitus est in Finnia, moderante Tuomone Pekkanen, qui ad Academiæ originalem regulam redire voluit nullamque acroasin accepit nisi Latinam. Conventus optime successit, quare, cum anno 1998 novus præses esset eligendus, plurima suffragia obtinuit eius moderator, qui tamen eligi non potuit propter statuti articulo, quo imponebatur præses Italus ; itaque vicepræses factus est. Paucis mensibus post, convocata sessione extraordinaria, statutum iterum mutatum est ; iam nihil dicebatur de præsidis civitate et licentia suffragia dandi conferebatur etiam bene meritis sodalibus ; nulla tamen mentio erat de usu vivæ linguæ Latinæ fovendo, contra votum Cælestis Eichenseer, Tuomonis Pekkanen et Roberti Schilling.

Anno 2003 Tuomo Pekkanen tandem factus est præses. Academiæ res œconomica erat in discrimine ; minorem in annos pecuniam a Ministerio Bonis Culturalibus administrandis acceperat et arca erat vacua, cum Institutum magnam summam posceret pro sedis locatione in platea Equitum Melitensium. Itaque Tuomo Pekkanen statuit sedem Instituti relinquere, quod ægre tulit Instituti præses ; ineunte enim anno 2004 epistula significavit se vinculum cum Academia rumpere.

Tuomone Pekkanen præside, omnia in Academia facta sunt Latine. Ad conventus autem quinto quoque anno instituendos aliena pecunia publica aut privata erat inveniendæ.

Ortu huius scientiæ modernæ miraculi, quod voca-

AD LECTOREM

tur interrete, apparebat fieri posse ut toti orbi pro minimo pretio ostenderetur Academia eiusque proposita. Antonius Capellán, Hispanus sodalis bene meritis, pecuniam dedit ut crearetur Academiae sedes interretialis ; infeliciter neminem invenit, qui hanc sedem industrie curaret.

Novus praeses anno 2010 electus est, Curtius Smolak, Austrius academicus litterarum Latinarum professor ; in Academiae sessione mense Novembri a. 2011 habita, decretum est ut nova sedes crearetur, quæ hac inscriptione nunc patet: www.academialatinitatifovendae.org.

Novissima sessio biduana fuit, cum altero die Theodericus Sacré, Academiae Vicepraeses, Colloquium Erasmicum instituerit in memoriam *Stultitiae Laudis* ante quingentos annos in lucem editæ ; hæc sessionis pars, inter quam septem acroases factæ sunt, fuit publica ; auditorium Fori Austriaci refertissimum erat... Iterum ergo dicere licet : «Spes nova in Academia Romana»! ☺



Forum Austriacum, ubi nunc fiunt Academiae Latinitati Fovendae sessiones.



Praeses Curtius Smolak (a dextris) et vicepraeses Theodericus Sacré.



Inter oratores : prof. Terentius Tunberg, Americanus.

ALBERTVS CHIARI PHILOGVS

IDEMQVE IN ADVLESCENTIA POETA LATINVS

– scripsit Theodericus Sacré –

Iosephus IJsewijn, vir litterarum Latinarum recentiorum et recentissimarum supra doctos omnes peritus, dum anno 1961 primum poetarum sæculi vicesimi conspectum apparat, Albertum Chiari, etsi memoravit, tamen plane se ignorare confessus est. Qui, cum longum agmen poetarum Latinorum apud Italos florentium attulisset, hæc de aliis quibusdam : « Nonnullos tamen oblivione premi inde conicere potes, quod ab aliis poetarum nomina memorantur, quorum scripta prorsus ignoramus. Ut de ceteris taceamus, adferre sufficit (...) Chiari Albertum (...). »¹ Suppudet me sane, quod cum novis in re bibliographica nixus auxiliis supplementa quædam statis intervallis adornare conarer multis post annis, nihil attemptavi ut plura de illo poeta cognoscerem. Quem nunc demum didici pauca at haud vilia Latine exaravisse ; ceterum Italicis litteris inlustrandis nomen famamque sibi adeptum esse haud vulgarem. Natus est Albertus Chiari Florentiæ anno 1900 ; impendebat litteris operam in studiorum universitate patria ; laureum sertum ibi est assecutus anno 1923 conscripta de Lucretio poeta dissertatione ; multus, ni omnia fallunt, fuit in codicibus manu scriptis, quibus *De rerum natura* continetur : nam anno postquam diplomate est donatus, novam editionem Lucretianam quam curaverat Hermannus Diels (1848-1922), quæ post mortem editoris publici erat facta iuris (Berolini, 1923), fusius castigavit ; siquidem Dielsium in codicum agnatione constituenda a vero longe aberravisse contendit Clarius, immo codices quosdam adeo non inspexisse ipsum, ut præcessoribus nimium fisus errores quoque excepisset quos illi admisissent.² Iuvenili ergo ut sic dicam elatione tiro in magni viri famam postumam impetum facere est ausus. Insequentibus autem annis Albertus Clarius præceptoris tam Latini quam Italici munere est functus primum apud Pedemontanos, tum apud Tuscos suos ; cum vero investigationi doctæ vacabat, scriptoribus potissimum Italicis operam studiumque navabat, ad Francisci Petrarçæ, Iohannis Boccatii, Alexandri Manzoni, Iosephi Parinii, aliorum gentis suæ luminum litterariorum opera animum magna cum diligentia advertabat ; itaque litterarum Italicarum doctor academicus est factus atque obtigit ei anno 1937 apud studiorum universitatem catholicam Mediolanensem cathedra publica ; quam tota vita activa tenuit. Volventibus autem annis locum inter disciplinæ suæ cultores minime ignobilem occupare cœpit ; quo factum est ut iudicaretur dignus qui primariis litterarum Italicarum interpretibus criticis adnumeraretur.³ Idem, quamvis coleret vernaculas literas, provinciam tamen Latinam non omnino sprevit deseruitve ; nam Iohannis Pascoli (1855-1912) poemata

Latina lectitare pergebat, Pascolianum *Laureolum* etiam in lucem publicam emisit Italice versum auctumque adnotatione.⁴ Apud Insubres vita est functus, cum prope centum confecisset annos, mense Iunio anno 1998.

Cum abhinc sesquimensem Romæ parumper morarer operaque aliquot neolatina percurrerem, accidit ut in manus meas veniret liber miscellaneus, qui compluribus constabat ex opellis iunctim compactis ; inerat qui me ad se allexit libellulus poeticus paucissimarum paginarum ; cui opusculo tenuissimo titulus erat *Animi molestiæ* ; nomen præ se ferebat Alberti Chiari ; si bibliothecæ catalogo fides, anno 1928^o typis erat expressus.⁵ Cursim perlegi (nam non id scriptum tum venabar) ; perlegenti mihi haud invenusti statim videbantur versiculi ; ergo festina manu poematum exscripsi, quod seponerem ad tempus, ut domum redux plura percontarer de viro cuius ne nomen quidem mihi umquam venisset (ita tum putabam) obviam in recentioris poeseos albis. Itaque, cum Lovanium revertissem, paucis instrumentis bibliographicis ac libris nonnullis excussis, ea mox didici, quæ de viri vita et operibus supra exposui. Iam vero versiculos, quos descriperam, paulo diligentius legendos censui, quo melius intellegerem quare me ad se statim rapuissent. Dum eos regusto, sic mecum cogitavi, iuvenilem in eis animum aperiri more fere romantico et, quantum scirem, verissime ; et eos inibi exprimi sensus quos adulescentes posteriore quoque sæculi vicesimi parte alerent : natos se esse ad res adversas patiendas ; indignos qui redamarentur ; se viles, suas delicias perfectionis esse supra modum humanum absolutæ ; semper se fore felices coniugii expertes. Hæc iuvenilia, hæc humana (quis neget ?), at trita ; illud me magis movit, quod litteris ita erat imbutus Clarius, ut eos animi sensus valeret Catulliano genere dicendi exprimere locosque Catullianos suis ipse admiscere pectoris motibus. Nam novantiquum (ut verbum adhibeam a Thoma Ceva poeta compositum) mihi videbar evolvere carmen. Etenim in lucem est editum poematum cum Clarius duodetricesimum ageret vitæ annum ; versibus autem poeta mentionem iniecit annorum iam elapsorum, qui erant totidem : ergo a vita non distabat poesis. Porro manifestum est male fuisse poetæ, quod coniugem non haberet, a virgine autem, quam adamasset, contemni se autumaret. Venit ergo ei in mentem Catulli et octavi eius carminis, quo ille animum suum similiter infelicem obdurefacere est conatus, usus choliambis illis quorum memoria apud Albertum Chiarum cum primo statim versiculo refricatur : « Miser Catulle, desinas ineptire », tum confirmatur verbis nonnullis indidem sumptis (vv. 10, 21) ; se ipse allocutus est Catullus,

eundem se Albertus ; at interdum prima usus est persona Catullus : eadem est usus Albertus altera carminis parte. Octavo carmine miser Catullus frustra temptavit vindicare se ab amore erga infidam puellam ; Albertus autem ceteras puellas omnes a se facile propulsavit, cui unum delictum ante oculos usque obversaretur. Tum sequuntur varia ac diversa apud vatem Veronensem tempora : nam et recordatus est hic quam fuisset olim felix, et sese ipse adhortatus est ut eam amare desisteret quæ non redamaret, et de tempore futuro cogitavit, quo puellam vicissim omnes essent viri repudiaturi... ; simili fere modo in hocce Clarii carmen diversa conveniunt temporis momenta. Ceterum verba quædam Catullum tantopere sapiunt, ut non possimus non conferre poetam Veronensem Florentino ; neque octavum tantum Catulli carmen, sed etiam alia subaudiuntur ; namque vv. 19-20 legentibus veniunt in mentem illi « Lesbia formosa est ; quæ cum pulcherrima tota est, / tum omnibus una omnis surripuit veneres » (86, 5-6 ; cfr. etiam 51, 5-6) ; et versus 29-30 aliquam mihi videntur præ se ferre similitudinem Catulli carminis 72, vv. 5-6 ; huc accedit quod recentioris poetæ genus dicendi a Catullo non longe distat : nam orationis ut ita dicam subtilitas vocabulis repetitis iuvatur (*vultumque ... vultum, te ... te ... te ; amabiles ... amabiles ; tota ... tota ; mihi signum ... mihi signum ; amo atque amore ; uror ... uror ; nimis ... nimis*) et verbis idem fere declarantibus (*furtim, secreta, occulte, silens*) ; his adiunxit Albertus opposita (*anxium serenabit ; miranda squalido*). Quæ cum ita sint, nemo tamen ibit infitias inesse huic carmini quæ a Catullo recedant longius ; nam veteres poetæ puellas interdum pro vilibus habebant, se ipsos vix umquam ; neque, quamvis essent amorum cupidi, de prole suscipienda statim somniabant ; contra hæc omnia leguntur apud Clarium affectusque animi produnt recentiores, quales Alphonsus de Lamartine aliive ævi romantici poetæ describere ; ea est enim persona poetæ, ut indolis sit anxie (v. 4), naturæ sit mæstæ et luctuosæ (vv. 10, 13), se pro squalido, scelesto et vili habeat (vv. 18, 21, 30). Neque anseres (v. 12) eadem vi verbi admisisset Catullus. At puto me satis de hoc carmine dixisse ; iam versus ipsos, candide lector, accipias. Unum præmoneo, poematum, cum esset typis expressum, leviter retractatum denuo prodidisse in commentariis qui inscribuntur *Il Mondo Classico* (1933, pp. 363-365) additis poematiis duobus ; quorum alterum idque venustum admodum, subiunxi.

Animi molestiæ

Miser poëta, septimus fugax annus
 Vigesimal post dissitum ruit longe,
 Vagitibus nec personat domus prolis
 Nec dulcis uxor te anxium serenabit.
 Quot nam puellæ, quas probas putavisti, 5
 Nigris ocellos circulis notare ardent

Vultumque fuco sordido colorare,
 Vultum pudore iam rubentem, et impuræ
 Te candidæ, te languidæ, te inescare !
 Mæstus sed illis obstinatus obduras. 10
 Sunt vero matris quæ patrisque præceptis
 Tenentur ; heu ... sed 'anseris', sed informes.
 Istas item tu, luctuosus, o spernis.
 « Quid virgines non sunt amabiles ? » dicent
 Fortasse amici... At sunt amabiles sane ! 15
 Dies fuit iam, quæ mihi sacra exstabit,
 In qua, velut de cœlicis plagis labens,
 Virgo miranda squalido mihi visa est,
 Quæ tota pulchra, tota casta acutaque
 Est mente, quæ omnes subripit mihi vires ; 20
 Mihi scelesto lucidum spei signum
 Mihi sereno dulce gaudii signum !
 Amo atque amore ferveo, attamen furtim.
 Secrete, Olympo dum vagus micat Phœbus,
 Miror, puella, te nitore diffusam ; 25
 Occulte, opaca nocte dum astra tantum alben
 Amica, anhelans, lacrimans, tuam accerso
 Imaginem, quæ blanda me quiete alta
 Revisat. Uror attamen silens uror
 Amore, namque sum nimis... nimis vilis ! 30

Ottobre 1927

13 O spernis 1933 : aspernas⁶ 1928
 29 revisat 1933 : revisit 1928
Ottobre 1927 1933 : *omisit* 1928

APPENDIX

Albertus Chiari, *Primis birundinibus advenientibus*⁷

Ales, qui trepido remigio vagans,
 Nunc cum vere novo de calidis plagis
 Ad dulcem revolas aeriam domum,
 Alarum adsiduum comprime et impetum,
 Stridorem et querulum desine fundere ! 5
 Aura dum renovat grata Favonii
 Arva, vox tremulis gemmea floribus,
 Blanditus Veneris tu cupiens novos
 Nidi sollicitus tu sociam vocas ;
 Illa et iam liquido de æthere decidit, 10
 Iucunde recreans te advolat en levis !
 Sed mihi rigidus cum Boreas furit
 Vel cælo in medio sol nitidus micat,
 Candidæ sociæ non radiat risus -
 Candidæ sociæ, quæ pariter sola 15
 Fundit de tenero pectore lacrimas
 Molles pallidula tristitia genas.
 Ales, qui levibus viribus evolas,
 Qui transire potes pervia et invia,
 Transi et quære meam, quære puellam ! 20
 Urbes, quas nimius sollicitat labor,
 Montes æthereos, spumea flumina

Transi et quære meam, quære puellam !
 Dulciter lacrimans anxia te audiet !
 O refer lacrimam tam cupido mihi,
 Verbum et exiguum, sed leve subripe :
 Antequam tenebras nox revocet nigras
 Prima ut stella micans floreat o mihi !

25

Maggio 1929 ☞

1. « Conspectus poetarum Latinorum sæculi vicesimi », *Euphrosyne*, 2 (1961), 149-190 (p. 185).

2. Cfr. A. Chiari, « A proposito d'una nuova edizione di Lucrezio », *Rivista di Filologia e di Istruzione Classica*, 52 (1924), 233-246.

3. Cfr. E.N. Girardi, « Alberto Chiari », in G. Grana (ed.), *Letteratura italiana. I critici. Storia monografica della filologia e della critica moderna in Italia*, 5 (Mediolani, 1973), pp. 3791-3798.

4. Cfr. Pascoli, *Laureolus*. Testo, traduzione, note a cura di Alberto Chiari (Mediolani, [1961]). Consulas etiam A. Chiari, « Nota sul 'Laureolus' », in *Studi per il centenario della nascita di Giovanni Pascoli pubblicati nel cinquantenario della morte. Convegno bolognese (28-30 marzo, 1958)* (Bononiæ, 1962), III, pp. 233-247.

5. (Florentiæ : Tipografia Giannini, 1928 (?)) ; exemplum adhibui quod servatur in Bibliotheca a Victorio Emmanuele II rege appellata.

6. Bene fecit poeta quod versum mutavit : nam illud 'aspernas' vix defendit Arnob. *nat.* 3, 6 (« Devotas enim mentes et manus protendimus neque aspernamus, quocumque invitaveritis, accedere »).

7. *Il Mondo Classico*, 1933, pp. 364-365. Sunt versus Asclepiadei minores, quorum bases iuxta exempla Catulliana (in Glyconiis et Pherecratiis) sunt liberae.

DE MATRE

– scripsit Vinfridus Czapiewski –

Gemini colloquuntur in utero. Sororcula ex fraterculo quærens : « Audi, carissime, inquit, post partum vitam esse puto. » At ille : « Quid cogitas ? Cur ? Hic amœnitas est et calor, et bene alimur. »

Puellula autem non vult ea concedere : « Tamen, inquit, plus quam hunc locum tenebrosum existere oportet, aliquid lucidum. Et fortasse moveri et ambulare ac ore manducare poterimus. » Sed fraterculo id persuadere nequit : « Ore manducare ! Quam absurde cogitas ! Utimur nervo umbilicari... Ceterum : Nemo umquam revenit ex illo 'post partum'. Hic sunt omnia, quæ existunt. Et partu vita finietur. Quid vis ultra ? »

Diu siletur. Tum sororcula cunctans : « Puto enim, inquit, nobis matrem esse. » At ille contradicens : « Matrem ! inquit, numquam ego vidi matrem ullam, nec tu ! Ergo non existit. » Sed illa insistens :

« Nonnumquam autem bene silentes eam cantantem audire vel mundum nostrum palpantem sentire possumus. »

Ambo aliquamdiu tacent. Tandem sororcula : « Nonne sentis, inquit, sæpius hanc pressuram ? Quam molestum est, nonnumquam vere dolemus ! » « Ita est ! Sed quid hoc refert ? »

« Mihi persuasum est hos dolores adesse, ut præparemur ad vitam alio loco degendam, qui multo pulchrior erit quam hic et ubi matrem nostram facie ad faciem videbimus. Nonne ibi animo excitabimur et delectabimur ? » ☞

Secundum Henri Nouwen.

Cf. H. Nouwen, *In einem anderen Licht, Freiburg : Herder 2006, pag. 60.*

PRO MORTVIS NIHIL NISI BONA

– scripsit Francisca Deraedt –

Æquatne omnes cinis, ut autumat Seneca? ¹ Nostris quidem temporibus, saltem si funebres ritus consideramus, dubitare licet num ex hoc mundo in alterum ex pari re vera transeamus. Etenim, cum alii ad cærimonias se vertant minus sollemnes, minus sumptuosas, magis autem dulces et intimas et... œcologicas, alii tale appetunt fatum, quali sibi videantur aliquo modo, eodemque nonnumquam satis mirabili, in æternum esse mansuros. Inde paulatim oriuntur novi ritus, quorum descriptionem in aliquo periodico scientifico ² nuper legi mirabunda.

Nonne adamantes æterni sunt? Hoc bene scit quicumque cinematicum illum speculatorem nomine James Bond sive 007 aliquando coluit. Quid tum? Luceamus ipsi post mortem! Fiamus adamantes! Hoc proponit Americana societas 'LifeGem', quæ officinam nunc hic etiam habet prope nos, in Batavia. Fabricatio, ut ita dicam, est simplex: parva cinerum copia ita calefit ut transformetur in graphitum. Materies sic purificata in prelo ponitur, in quo adamas gignitur eodem modo, id est eadem pressura et temperatura, quo fit in ipsa natura. Pretia, si vestra interest, in interreti facile invenietis; pendent autem et a colore et a pondere. Huiusmodi tamen immortalitas, præter pecuniam dico, nondum patet omnibus: nam in Francogallia, exempli gratia, illicita est, cum cineres acta crematione non liceat dividere.

Eadem de causa Francogallis alium finem facere cupientibus nondum licet cineres ad Lunam aut etiam longius mittere. Quam operam navat societas, etiam Americana, 'Celestis' opportune nominata. Pro modico pretio 3.000 euronum, unum tui grammum una cum trecentis aliis defunctis bono marsupio præditis rucheta mittetur in orbitam terrestrem. Si quis hoc singulari proposito allicitur, cogitet de sede satis mature prænotanda: proximus enim volatus, e campo spatiali Cap Canaveral profecturus, iam est refertus.

At fortasse toto cælo distas ab huiusmodi cupidinibus? Fortasse insani tibi videntur ei, qui aerem post mortem adhuc polluunt? Fortasse natura servanda tibi est curæ? Tum verte te ad «viridia», quæ dicuntur, funera. Nostris temporibus multi homines ad terram redire cupiunt modo «quam maxime naturali». Non in omnibus autem civitatibus sepeliri licet simplici linteo coopertum. Quæramus ergo capulum œcologicum. Multi libitinarii, novos mores respicientes, capulos vendunt «œco-certificatos», ut eos vocant, id est ligno quidem confectos, at nullo synthetico glutino adhibito, intusque vestitos sive maizii amylo ³ sive pinea cellulosi. Minus autem libenter capulos vendunt confectos charta papyracea, ligno regyrato, bambusa, palma aut



Corpus defuncti, positione fetus, ponitur in amyli capsula, supra quam plantatur arbor. Imago:

<http://urbania.ca/canaux/enquetes/1687/mourir-vert>

maizii amylo, quibus et Americani et Europæi magis magisque alliciuntur. Rationem quæris? Non sat magni constant! Quamquam argumentum, sive prætextum, afferunt et ipsi œcologicum: lignum cremationi prodesset, aliter gazum fore superaddendum, unde maiorem pollutionem...

Nisi licet in fumum abire chartaceo capulo, Albionem petamus ubi florent «viridia cœmeteria»: corpus humatum arborem alit, quæ invicem officio fungitur sepulcri. Dicuntur silvæ inde floridius crescere avibusque magis abundare.

Potius mare nobis est cordi? Sinus Mexicanus nos exspectat! Ibi enim cineres in «corallinum cœmeterium» demerguntur ab Americana societate 'Eternal Reefs', videlicet ut oceanus frequentetur iterum.

In Scotia tandem invenimus verum funus œcologicum. Societas 'Resomation Limited' vocata non cremat corpora, sed liquefacit hydrolysi alcalina, quæ ratio ter minus polluens insuper septima tantum parte eget energiæ cremationi necessariæ, ac metalla sive dentibus sive aliis corporis partibus insita facile separat. Reliquiæ humanæ tum tractantur hydroxydo kalii, ⁴ premuntur, calefiunt, liquefiunt, denique liquor sic confectus eicitur... cloaca. O tempora: eadem societas testificatur nullum vestigium geneticum in residuo posthac manere.

Alia terra, alii mores. In Suetia, quædam biologa

methodum excogitavit crystallizandi, quæ tamen alio-
 sis minus conveniet. Defunctus enim immergitur in
 balneum nitrogeni⁵ liquidi cuius temperatura est
 -196°C. Tum corpus, fragile factum ut vitrum, vehe-
 mentibus vibrationibus transformatur in pulverem. Hic
 agendi modus in Suetia et Anglia verisimiliter lege
 mox accipietur.

At redeamus ad immortalitatem. Nonnulli ritus
 egent providentia: oportet enim regionem, ubi colun-
 tur, antequam de vita decedas petere. Congelatio,
 exempli gratia, dum 28 dollariorum milia habeas per
 fenestram iacienda, statim fit post mortem. Ipse physi-
 cus Robertus Ettinger, conditor 'Motus cryogenici',
 ante paucos menses, ætate 92 annorum, frigidario man-
 datus est in quo 106 alii defuncti futuros medicinæ
 progressus tranquilla fiducia expectant.

Fanatici internautæ, gaudeatis igitur! Nam interrete
 vobis carissimum, fons infinitorum gaudiorum, vos
 etiam facere potest æternos. Non iam numerantur retia
 socialia aliæque sedes interretiales nuntiis necrologi-
 cæ, luctui, mortuorum memoriæ dicatæ. Cum pecunia non
 oleat, omnes occasiones esse videntur opportunæ. Ut
 unum præbeamus exemplum: vos, qui per tot annos in
 televisione facinora spectavisti inspectoris Columbo,
 eius memoriam fortasse colere cupitis? Aut eam
 Marcelli Mastroianni, Danielæ Mitterrand aliorumve
 hominum, etiam plane obscurorum? Adeatis ergo
 'Cœmeterium virtuale': ibi florem aut nuntium depo-
 nere potestis in eorum sepulcro... pecunia haud virtua-
 liter soluta.

In eo autem quædam est difficultas, quod omnes
 illæ res, illa scripta, nuntii, commentarii, imagines
 quas in interreti aliquando posuimus, nobis vita func-
 tis ibi plerumque manent, quæ res variis de causis esse
 potest molesta. Nullum tamen problema exstat, quod
 solutione careat: scribe testamentum tuum numerum-
 cum! 'Virtuales' enim 'libitinarii' famam tuam interre-

tialem curant post mortem: quæ servanda statueris ser-
 vabunt, delenda delebunt, etiam nuntium a te scrip-
 tum ad familiares mittent postquam vita eris functus.

Mors non ubique neque semper eodem modo perci-
 pitur. Hic dulce et decorum est pro patria mori. Hic
 defuncti eunt ad patres, hic ad Deum, illic ad aliam
 viventis formam, ad mundum subterraneum, ad stellas,
 ad nihilum. Unum tamen omnes homines habent com-
 mune: credunt, aut credere cupiunt, aut libenter credi-
 dissent, mortem non esse vitæ finem. Ævo autem nos-
 tro minus minusque religioso – saltem in occidentali
 hominum societate – multi spem æternitatis ponunt in
 novis progressibus technicis, modo tamen, fateamur,
 credulo ac nonnumquam ridiculo. Tamquam si contra
 vim mortis esset medicamen in hortis. ☺

-
1. Ep. 91,16.
 2. Hæc symbola nititur commentario c.t. «Des rituels à la mesure de notre démesure», in *Sciences et Avenir*, Paris, nov. 2011, Dossier La science et la mort, p. 68-71.
 3. Amylum: *amidon, starch*.
 4. Kalium: *potassium*.
 5. Nitrogenum: *azote, nitrogen*.



<http://www.cryonics.org>



<http://www.lecimetiere.net>

DE TITVLIS QVIBVSDAM BRVXELLENSIBVS RECENTIORE ÆTATE LATINE APPOSITIS

– proponit *Volfgangus Jenniges* –

VICTORIO CIARROCCI PISAVRENSI
INDEFESSO TITVLORVM LATINORVM INDAGATORI

Bruxellarum oppidum, Brabantiae quondam decus, variis quoque insignitur titulis Latine conscriptis, quos etiam recentiore ætate variis in ædificiis (sæculorum XIX et XX) appositos legere licet, quosque in Melissæ fasciculis lectoribus proponere iuvat. Sueto more nonnullas adicimus adnotationes.

I.

In introitu Academiae vel Scholæ Musicæ (quæ Italico vocabulo «Conservatorio»¹ et apud nostrates innotuit) (a. 1876):

LEOPOLDVS II BELGARVM REX AVGVSTVS²
ET MARIA HENRICA BELGARVM REGINA
[AVGVSTA³

ARTIVM LIBERALIVM PATRONI
HANC ÆDEM MVSICÆ ARTIS STVDIOSIS
ÆRE PVBLICO EXSTRVCTAM⁴
DEDICAVRVNT PRIDIE ID[VS] FEBR[VARIAS]
ANNI MDCCCLXXVI.⁵
CAROLO DELCOVR⁶ RERVVM REGNI
[INTERNARVM SVMMO PRÆFACTO
AVGVSTO BEERNAERT⁷ OPERVM PVBLICORVM
[PER FINES REGNI SVMMO PRÆFACTO
AVGVSTO GEVAERT⁸ SCHOLÆ RECTORE



*Supra: Academia Musica cum berma Augusti Gevaert.
Ad sinistram: Vestibulum Academiae Musicae.*



II.

In fronte scholæ publicæ (athenæi quod vocant) a Roberto Catteau dictæ iuxta ædem quæ olim erat Minimorum,⁹ haud procul a Sabulone (a. 1927 vel postea):

DIGNVM MEMORIA

IN HAC AREA S[A]JECVLO XVI⁹
SVRGEBAT DOMVS¹⁰
PERCELEBRIS AVCTORIS
ANDREÆ VESALII BRVXELLENSIS
1515-1564
QVI ANNO 1542 SVVM CELEBERRIMVM
LIBRVM DE HVMANI CORPORIS FABRICA
FELICITER POSTERIS TYPIS MANDAVIT



Athenaeum publicum cum aede Minorum.



Aedes Artium Liberalium.

III.

In Aedium Artium Liberalium¹¹ introitu (a. 1928):

ARTIBVS
HAS AEDES
SACRAS ESSE
ET CIVIBVS PATERE
VOLVERE CIVES
COMMVNI CONSILIO
CONSOCIATI

ALBERTO REGNANTE¹²
FAVENTIBVS IIS
QVI BELGIO
QVI VRBI BRVXELLENSI
PRÆERANT

ARCHITECTO
VICTORE HORTA¹³
PRÆSIDE
ADOLPHO MAX¹⁴
CVRATORE
HENRICO LE BŒVF¹⁵
ANNO
M CM XX VIII

In opposito introitus latere similis est tabula marmorea adfixa ubi verba Latine leguntur tria tantum hæc: HIC ADHVC LOQVVNTVR. Sequuntur nomina sedecim eorum virorum qui insequentibus annis (ad annum usque 1984) Aedes Artium curaverunt.

IV.

In fronte earum aedium, ubi ineunte sæculo XIX legatio Pontificia sedem suam habuerat, nunc autem sita est vinorum taberna haud ignobilis,¹⁶ quæque sunt iuxta ecclesiam Deiparæ Virginis ad Sabulonem,¹⁷ recentissime (anno 2010) appositus est titulus hic:

HAC IN DOMO COMMORATVS EST
AB A[NNO] MDCCCXLIII AD MDCCCXLVI
NVNTIVS AP[OSTO]LICVS AD REGEM
[BELGARVM]¹⁸

JOACHIM PECCI
QVI POSTEA SVMMVS PONTIFEX¹⁹
LEO P.P. XIII ☪

1. Quod nomen, ut videtur, inde duxit originem, quod in his scholis infantium expositorum vel orborum, in brephotropheis aliisque id genus piis institutis «conservatorum», educatio atque institutio (musica vel alia) curabantur (inde a s. XIV-XV).

2. Leopoldus II Belgarum rex, anno 1835 natus, regno præfuit annis 1865-1909. De eo cf. *Melissæ* fasc. 154, 15.2.2010, p. 2.

3. Maria Henrica ex Habsburgensium stirpe Pesthini anno 1836 nata, anno 1853 Leopoldo principi nupsit, ab anno 1865 ad annum 1902, quo supremum obiit diem, Belgarum regina fuit.

4. Inter annum 1867 et 1876, architecto Ioanne Petro (Jean-Pierre) Cluysenaar (1811-1880).

5. Scilicet die 12 m. Febr. a. 1876.

6. Carolus (Charles) Delcour (1811-1889), catholicæ factionis, præfuit rebus

regni internis annis 1871-1878.

7. Augustus (Auguste) Beernaert (1829-1912), catholicæ factionis, præfuit regni operibus publicis annis 1873-1878.

8. Augustus (Auguste) Gevaert (1828-1908), melopœus et rerum musicarum investigator, annis 1857-1869 postquam operam dedit Lutetiæ, ab anno 1871 ad mortem rector fuit Academiæ Musicæ Bruxellensis. Inquisivit præcipue in musicam antiquam et cantum liturgicum, de quo etiam doctas nonnullas evulgavit dissertationes.

9. Quæ ecclesia divis Ioanni atque Stephano dicata ad usum fratrum Minimorum anno 1715 est perfecta; cuiusque architectura turgidum illud redolet genus Asianum, quod Italico vocabulo «barocum» vocatur, iamiam ad neoclassicismum, politius profecto ac purius ædificandi genus, vergens. Monasterium ipsum Minimorum anno iam 1796 sublatum atque extinctum est, quamquam eius ædificationes, ad ecclesiam adiacentes, atque variis usibus dicatæ, ad annum usque 1920 manserunt.

10. Scilicet ubi Minimorum s. XVIII monasterium erat exstructum, nunc autem surgit Athenæi moles.

11. Inter annos 1922 et 1928 exstructæ. Vulgo: *Paleis voor Schone Kunsten* / *Palais des Beaux-Arts*, ubi fiunt concentus musici maioris notæ et artium exhibitiones maxime variæ.

12. Albertus I Belgarum rex regnavit a. 1909-1934. Natus erat anno 1875.

13. Victor Horta, celeberrimus architectus, generi artis «novæ» necnon «decoræ», quas hodie vocant, addictus, vixit a. 1861-1947.

14. Adolfus (Adolphe) Max, liberalis (quæ dicitur) factionis, oppidi Bruxellensis præfectus («præses») a. 1909-1939. Vixit a. 1869-1939. Qui vir in re publica exercitatus anno 1935 etiam bonarum artium ex omnibus populis exhibitionem Bruxellis instituit atque ordinavit.

15. Henricus (Henry) Le Bœuf, argentarius et artium patronus, vixit a. 1874-1935. Eius nomine insignitur maxima Ædium aula, quæ concentibus musicis inclaruit, quæque duobus milibus auditorum et ducentis locum præbet.

16. Cui nomen haud inepte inditum *Les Caves de la Nonciature* (a. 2010).

Ædificium autem ipsum ineunte sæculo XIX exstructum, cellaria habet mirifica sæculorum XVI et XVII ubi nunc venundantur vina atque degustantur.

17. Quæ est inter mirifica artis Gothicæ (quæ dicitur) in oppido Bruxellensi exempla, ineunte sæculo XV exstructa, sed sæculo XIX plurimum transformata. Ædis per Mediam quam vocant Ætatem Latine etiam «super Zabulum» i.e. «Sabulum» (harena scilicet) vocabatur (usque nunc «Zavel» Nederlandice monticulus dicitur in quo surgit ecclesia).

18. Qui rex tum erat Leopoldus eius nominis primus (r. 1831-1865).

19. Annis sc. 1878-1903. Natus erat anno 1810.



Ecclesia B.M.V. ad Sabulonem.



Ædes legationis Pontificiæ s. XIX.

DE REBUS COLONICIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Mos hodie est Europæis crimini dare, quod multas extraneas regiones in dicionem suam redegerunt atque illuc colonias deduxerunt. Non desunt inter ipsos Europæos, quos pæniteat, quod maiores hoc gesserint et sæpe quidem satis crudeliter. Hic autem historiarum conspectus est nimis brevis; debiliorum enim populorum a potentioribus magisque excultis colonizatio est phænomenum historicum a longinquissimis temporibus consuetum.

Inspiciamus, verbi gratia, Galliæ territorium. Archæologi invenerunt primos agricolarum vicus ineunte quinto millennio ortos esse in territorii parte septentrionali; hic tamen novus cultus non sua sponte ortus est, sed allatus a gentibus, quæ compluribus sæculis ante in valle Danubii agros iam colebant; inde intra unum millennium agricultura apparuit in omnibus Europæ regionibus, a Ponto Euxino ad oceanum Atlanticum et ab Alpibus ad mare Balticum. At, cum agricultura incolas sivilisset magis magisque frequentes fieri, vagantes gentes, quæ venando et lectitando vitam sustinebant, imprimis in silvas compulsæ paulatim extinctæ sunt.

Exeunte quarto millennio incohatur in Gallia ætas metallorum, primum cupri, postea æris. Metallica tamen fabrica originem indigenam non habet, sed per Balcanicas regiones et mediam Europam importata est ex Oriente, ubi iam sexto millennio apparuit. Archæologia monstrare non valet utrum hæc magna ætatis metallorum mutatio effecta sit aliqua colonizatio, an solum contactu cum vicinis gentibus iam expertis.

Plura vero scimus de parte ferrea ætatis metallorum. Ferrum, quod multo efficacius est quam æs, primum adhibitum est in media Europa, a gentibus, quæ Keltoi a Græcis et postea Galli a Romanis vocabantur; hanc primam ætatem ferream, ab *Hallstatt* vocatam, non participavit Gallia, sed solum alteram, a *La Tène* vocatam, quæ quinto sæculo incohata est. Tunc Galli, quorum arma ferrea ceterorum arma ænea valde superabant, et ad orientem et ad occidentem irruperunt atque inter alia sedem collocaverunt in regione, quæ inde Gallia tum Cisalpina cum Transalpina vocata est; solum hic agetur de Transalpina, ubi tam efficax fuit colonizatio, ut etiam locorum nomina facta sint Celtica.

Obiter recordandum est Gallos anno 390 a.Ch.n. Romam quoque expugnasse et diripuisse.

Gallorum cultus non est despiciendus; urbes non habebant ac parum scribebant litteris Græcis utentes, sed delicatissima ornamenta fingere valebant. Eorum tamen civitatum temperatio exercituumque constitutio impar erat eis Romanorum. Cum inter annos 125 et 123

a.Ch.n. Massilia, colonia Græca a Gallis obsessa, auxilium a Roma petivisset, civitates Ligurorum, Voconiorum Salluviorumque devictæ et in Romanorum dicionem redactæ factæ sunt provincia Galliæ Transalpinæ.

Postquam Cæsar posteriore parte primi sæculi a.Ch.n. reliquam Galliam, comatam vocatam, in dicionem suam redegit, incohata est Galliæ ætas Romana, quæ per quattuor sæcula producta est. Sic factum est ut non solum Romanorum cultum, sed etiam eorum linguam Galli sibi assumerent.

Post Germanorum migrationem per Galliam ineunte quinto sæculo p.Ch.n. incohata, inter gentes, quæ ibi manserunt, Franci a sexto sæculo ineunti primum locum habuerunt totiusque fere Galliæ habenas tenuerunt. Quamquam iidem multo pauciores erant quam incolæ Gallo-Romani, nomen Galliæ mutatum est in Franciam, Francorum mores prævaluerunt et nonnulla eorum vocabula se immiscuerunt Latino incolarum sermoni magis magisque corrupto.

Francogallia ergo talis non esset, qualis nunc est, nisi factæ essent complures colonizationes. Homines tamen pudere videtur colonizari. Exempli gratia, tempore magnæ rerum eversionis novi regentes Francam odiosi regis stirpem respuerunt. Deinde Romani quoque habiti sunt ut nocentes invasores. Hæc enim mirabilia verba leguntur in quodam historiæ enchiridio ineunte vicesimo sæculo edito: « Ne pergamus credere Romanorum dominationem Gallis profuisse. Gallicus enim populus, fortis, generosus, gloriosus, facetus, ingeniosus, industrius, Romanorum cultu non egebat et sibi ipsi sufficere perbene poterat. »¹

Anno 1989 Parisiis habita est magna exhibitio, cui titulus erat « Francogalliæ archæologia: de inventis 30 annorum ». ² In crasso libro de hac exhibitione edito singulæ ætates veteris Francogalliæ historiæ proprio capitulo tractantur; sextum capitulum sic intitulatur: « Gallia Romana: num fuerit successus æconomicus ». Hanc incredibilem interrogationem initio symbolæ explicat auctor ipse. Per nonnulla lustra, ait, Gallia Romana malam habuit famam; inter alias causas, annis sexagesimis sæculi vicesimi, novus cultus regionalismi ac funesta bella colonica effecerunt ut male iudicaretur de Romano colonizatore. Res mira, hodierni Francogalli potius a Gallis quam a Romanis hereditatem trahere malunt, quamquam Romani multo plura ad cultum locupletandum contulerunt; non meminisse videntur ipsos Gallos invasores necnon colonizatores fuisse!

Aliud exemplum afferro: Tunesiam. ³ In eius longo itinere historico nec desunt mutationes nec hereditates. Quamvis vestigia antiquissimæ hominis præsentia ibi

inventa sint, rem solum a cultu neolithico consideramus, qui satis sero apparet, i.e. exeunte quarto millennio. Eo tempore fit magna climatis mutatio et Sahara, quod multis rivis irrigatum erat viride, gradatim aspectum præbet deserti vita carentis; sic Tunesia ab Africa media secluditur.

Berberi, quorum origo nondum inventa est, Tunesiam tunc iam incolunt; eorum cultus manet neolithicus usque ad adventum Phœnicum, qui primam coloniam, Uticam nomine, fortasse iam exeunte secundo millennio deducunt. Paulo post coloniæ Hadrumetum (hodie *Sousse*) et Hippo Diarrhytus (hodie *Bizerte*) conduntur, sed eventum maximi momenti est colonia Carthago a Tyriis anno 814 a.Ch.n. deducta. Carthaginienses et ceteri Pœni diu manent suis coloniis inclusi; tum, medio tertio sæculo, tempore primi belli Punici (264-241), magnum agrum in Tunesiæ parte septentrionali et orientali redigunt in dicionem suam, proprium cultum Berberis afferentes. Idem cultus etiam assumitur a vicinis Numidis, quorum tribus maximam hodiernæ Tunesiæ partem occupant; apud eos a tertio sæculo exeunti gubernant reges et floret cultus Græco-Punicus, cuius adhuc supersunt nonnulla pulchra monumenta.

Post Carthaginem a Romanis anno 146 a.Ch.n. captam et funditus deletam, ager Punicus fit provincia Africa Vetus vocata, cuius caput est Utica. Vix quicquam ibi mutatur sæculo insequenti, quamquam Romanis durum bellum contra Iugurtham, Numidarum regem, gerendum est (112-105). Res paulatim mutantur post Cæsaris adventum, qui ad Thapsum ultimos Pompeii fautores vincit; tunc, sublato regimine regali, Numidia fit provincia Africa Nova vocata.

Uticæ portu luto magis magisque impedito, Cæsari propositum est Carthaginem restituere. At necatur antequam res ad effectum possit adduci. Augustus hoc consilium sibi assumit refectæque urbi nomen dat Coloniam Iuliam Carthaginem. Hæc urbs tam celeriter fit prospera, ut primo sæculo p.Ch.n. iam habeat quingenta incolarum milia; in complura sæcula erit pharus cultus Romani in Africa.

Tunesia est sola pars Africæ septentrionalis, ubi cultus Romanus per totum agrum diffusus est. Tunc incohatur et quattuor sæcula permanebit ætas prosperitatis, qualis antea numquam fuit; ubique enim crescunt oppida, quæ præstantibus ædificiis monumentisque ornantur. Quamvis quarto sæculo supersint, teste Augustino, aliquot incolæ Punice loquentes, lingua Latina facta est communis; inter Antiquitatis scriptores Latinos numerantur quadraginta Africani. Post finem Romani Imperii Occidentalis, sermo Latinus

paulatim fit, ut alibi, lingua Romanica sui generis.

Quinto sæculo Vandali per Columnas Herculis in Africam septentrionalem irrumpunt atque anno 439 Carthaginem expugnant. Vandalorum regnum nimis breve est, unius tantum sæculi, quam ut cultum Romanum tollat, quamquam ipsi, cum sint hæresis arianæ fautores, clerum catholicum crudeliter persequantur multasque ecclesias et alia ædificia delent.

Iustiniano Constantinopoli imperante, Romanorum exercitus, duce Belisario, anno 533 Carthaginem facile capit. Profligatis Vandalis, administratio Romana restituitur, at non prosperitas; incolæ enim vectigalibus sunt obruti; episcopi nolunt imperatori parere, unde iterum fiunt rixæ religiosæ. Africæ exarchatus iam valde debilitatus est, cum septimo sæculo irrumpunt Arabes mahumetani.⁴

Regnante califa Uthman (644-656), Arabes in Africam septentrionalem irrumpere incipiunt. Inter primam brevemque expeditionem (647-648) patricius Gregorius in Tunesia vincitur et necatur. Regnante califa Muawiyya (661-680), anno 670 Arabes iterum irrumpunt in Tunesiam atque ibi primam urbem mahumetanam condunt, *Kairouan* vocatam; magna meschita ibi tunc erigitur, quæ pharus fit cultus mahumetani in tota Africa septentrionali; eius precum oculus ornatur permultis pulchrisque columnis e Romanis monumentis ereptis.

Anno 682 Arabes, dum expeditionem usque ad oceanum Atlanticum ducunt, Berberorum tribus vehementer repellunt; in reditu tamen ipsi a Berberis profligantur eorumque dux necatur. Rebelles Berberi, adiuvantibus reliquiis exercitus Byzantinorum, *Kairouan* capere et Arabes ex Africa septentrionali pellere valent.

Imperante Abd al Malik (685-707), maximo califa stirpis Omeiadum, anno 686 Arabes Tunesiam iterum aggrediuntur, *Kairouan* capiunt et Carthaginem expugnant. Byzantini eam recuperare valent anno 695, sed tantum usque annum 698. Kahina, Berbera mulier Iudæa aut Christiana, quæ Berberos rebellantes inflammavit et in bello ducit, anno demum 701 victa necatur.

Ab initio sæculi octavi, Arabes mahumetani Tunesiam firmiter tenent; urbs Tynes, iuxta Carthaginem sita, fit magna Arabum statio navalis, unde Siciliam et Italiam meridionalem aggrediuntur. Magnam meschitam, *Zitouna* nomine, ibi exstruunt. Difficilis tamen et longa est Berberorum conversio ad religionem mahumetanam, longior etiam nec tota eorum transitio ad linguam Arabicam; infeliciter de illis temporibus nullus oculatus testis quicquam scripsit, quod ad nos pervenerit; solum vero habemus

Arabicas narrationes scriptorum multo posteriorum.

Anno 800 incohatur in Tunesia, sinente califa Bagdatensi Haroun er-Rachid, regnum stirpis Aghlabitarum, cuius dominatio præter Tunesiam etiam patet in Algeriam et Tripolitanam. Hi favent Arabibus ex Oriente immigrantibus et bella fere continua gerunt cum tribus Berberis. Fere omnes huius regni principes pereunt trucidati.

Anno 909 oritur nova stirps Fatimidarum, quæ in medio Tunesiæ litore orientali portum Aphrodisium anno 921 eligit ut regni caput eique nomen dat *Mahdia*. Fatimidæ tamen, cum Berberos domare non valeant, Ægypto potiuntur atque ibi, califæ titulo assumpto, anno 972 regnum suum instituunt.

Fatimidæ Africam septentrionalem administrandam tradunt Berberæ stirpi Ziridarum. Qui, cum anno 1045 sui iuris esse statuunt, Fatimidarum iram excitant. Aliquid tunc accidit, quod maximos effectus habebit in historia totius Africæ septentrionalis. Califa enim Fatimida ultionis causa illuc mittit multas Arabum tribus, quæ sub pellibus vivunt ad litem Ægypti. Isti Beduini, qui Hillalii vocari solent, anno 1051 urbem *Kairouan* capiunt atque in Tunesia et Algeria campis potiuntur, vicos diripiunt et Berberos in montes pellunt; ubi antea colebantur agri, Beduini nunc ovium caprarumque greges pascunt. Mahumetana Africæ septentrionalis expugnatio, quæ initio erat politica et religiosa, nunc fit ethnica. Hac Hillaliorum invasione distributio ethnica in Africa septentrionali facta est, qualis adhuc superest. Civitatis electissimi iam diu Latine non loquuntur, sed Arabice; etiam Berberorum dialecti colorem Arabicum magis magisque assumunt.

Anno 1159 Almohades, nova Berbera stirps e Mauretania oriunda, totam Africam septentrionalem in dicionem suam redigunt. Tunesia pars fit magni Almohadum imperii, quod ultra et citra Columnas Herculis patet. Normanni, qui tunc in Sicilia regnant, nonnullis litoralibus Tunesiæ urbibus potiuntur, sed non valent ibi diu manere. In Almohadum imperio floret res œconomica necnon commercium cum præcipuis portibus maris Mediterranei. Urbes dilatantur, pulchra ædificia eriguntur, præcipue meschitæ, ut Tunetis nova *Zitouna*, sed in campis agri magis magisque mutantur in solitudines. Litteræ etiam florent; est tempus Averrois (1126-1198) et Maimonidis (1138-1204), quorum uterque Cordubæ natus est.

Anno 1236 Tunesia ab Almohadibus secedit fitque sui iuris, regnante Berberica Hafsidarum stirpe; urbem caput eligit Tunetem. Tempore huius regni in Tunesiam exponitur septima cruciata expeditio, duce Francogalliæ rege Ludovico IX, quæ non succedit, cum

Ludovicus anno 1270 pereat peste affectus. Magis etiam postea sævit pestis; anno enim 1384 oritur maxima epidemia, qua incolæ Africæ septentrionalis iterum fiunt multo pauciores.

Hispaniæ ultimo mahumetano regno anno 1492 expugnato, Granadæ scilicet, reges Ferdinandus Aragoniensis et Isabella Castellana statuunt Africam septentrionalem saltem partim recuperare; complures Algeriæ portus expugnant. Ad Hispanos repellendos sultanus Hafsida duos famosos piratas Græcos, quorum nomen est Barbaros, arcessit, qui stationes navales in Tunesia collocent. Inde, ex eorum nomine, piratæ mahumetani vocari solent « piratæ Barbaresci ».

Tunc incohatur magnum certamen de possessione Africæ septentrionalis inter Hispaniam et imperium Othomanicum, cuius sultanus piratam Barbaros facit magnum imperii nauarchum. Anno 1535 imperator Carolus Quintus Tunetem expugnat; itaque sultanus Hafsida fit eius vassalus. Non diu tamen; Othomani enim Tunetem anno 1574 recipiunt et Tunesia fit provincia imperii Othomanici.

Parvi ponderis est Turcorum occupatio, quod spectat ad cultum civilem; nam cum eorum præsidia maneant in portibus seclusa, Beduini se libere gerunt. Piratæ autem Barbaresci tantum sæviunt in mari Mediterraneo, ut primum classis Britannica, postea Francogallica inter annos 1622 et 1683 piratarum stationes navales compluries bombardent.⁵

Anno 1705 Hussein Bey primus est stirpis Husseinorum, qui totam potentiam habet in Tunesia, quamquam verbo pergit ab Othomanis pendere. Undevicesimo sæculo magis moderna fit gubernatio, quæ ab anno 1861 constitutione nititur, prima totius orbis Arabici. A duodevicesimo sæculo architectura et ornatio magis magisque sumunt colorem Italicum.

Usque ad undevicesimum sæculum piratæ sæviunt; Tunesiæ regimen eis favet partemque prædæ sibi servat ad minuendam ærarii egestatem. Captivi christiani, si redimi non possunt, servi fiunt. Tandem fœderibus Vindobonensi (1815) et Aquensi⁶ (1818) potentiores Europæ civitates regiminibus Africæ septentrionalis imperant, ne piratas Barbarescos iam tolerent. Verus tamen piraticæ finis solum evenit Francogallorum vi militari, anno 1830 in Algeria et anno 1836 in Tunesia.

Undevicesimum sæculum est tempus quo civitates Europææ, technicis progressibus nactæ, præpotentes fiunt in toto orbe terrarum. Populi, qui hos progressus non participaverunt, in dicionem potentiorum necessario cadunt. Sic Algeria ab anno 1830, Tunesia ab anno 1881 a Francogallis occupatur. Civitatibus Europæis altero bello mundano extenuatis, Francogallia anno

1956 sinit Tunesiam fieri sui iuris.

Cauti consilii est de recentioribus eventis non tractare. Attamen, si Tunesiæ historiam solum usque ad duodevicesimum sæculum consideramus, apparet eam minimum sex colonizationes passam esse : Phœnices ibi finem faciunt ætatis neolithicæ, Romani agrorum culturam multum dilatant, permulta ædificia utilitatis publicæ exstruunt, quorum præstantes reliquias adhuc admirari licet, Vandali multa delent, Arabes novum cultum mahumetanum loco christianismi et linguam Arabicam loco Latinæ imponunt, Beduini Hillalii Berberos e campis pellunt, ut pecora pascant ubi antea colebantur agri, et Othomani nihil faciunt, ita ut Tunesia sopita cultum mediævalem diu servet. Manifesto ei, qui autochthonibus Berberis maiorem prosperitatem attulerunt, sunt Romani ; hodierni autem mahumetani incolæ hereditatem Punicam extollunt.

Exempla colonizationis ad libitum multiplicari possunt ; sæpe colonizatores se præcedentibus debilioribusque incolis substituerunt. Civitas quævis, ne colonizetur, oportet ad modernum cultum accedat. De qua re optimum exemplum præbet Iaponia. Exeunte enim undevicesimo sæculo, quo tota fere Asia sub Europæorum ditione est, Iapones regentes statuunt cultum Europæum assumere ac tam celeres progressus faciunt, ut iam ineunte vicesimo sæculo cum Europæis Americanisque pro pari tractare valeant, Russosque bello vincant.

Colonizatio tamen non semper fit eodem modo ; Romani, exempli gratia, aliter se gesserunt quam Græci. Coloni enim Romani se commiscuerunt cum provinciarum incolis, ita ut eorum cultus et lingua ab eis celeriter assumeretur ; præterea ex cultis provincialibus licebat ad magistratus accedere ; recordemur verba Rutilii Namatiani, Galli Aquitani, in carmine *De reditu suo* (I, 11-16) :

Felices etiam, qui proxima munera primis
Sortiti Latias obtinuerunt domos !
Religiosa patet peregrinæ Curia laudi
Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio collegarumque fruuntur
Et partem Genii, quem venerantur, habent...

In provinciis partis occidentalis Imperii Romani, linguæ Romanicæ filia sunt Latinæ. Græci contra seclusi manserunt in coloniis suis ; sic evenit ut in regnis Hellenisticis resurrexerint indigenarum linguæ, Armeniaca in Armenia, Syriaca in Syria, Coptica in Ægypto. Repulsa Græcorum colonizationis eo magis patet, quod Arabes, contra, proprium sermonem sub-

stituere valuerunt et Syriacæ et Copticæ linguæ. Plerique recentiores Europæi Græcum colonizationis modum elegerunt et ab incolis seclusi vixerunt ; in Africa meridionali hæc seclusio vocabatur *apartheid*. Dedecet tamen de Europæorum colonizationis maledicere, quæ fuit necessitas historica ; plura bona quam mala attulerunt colonizatores atque in multis Africæ regionibus populi manifesto feliciores erant, antequam sui iuris facti sunt. ☞

-
1. Abbé P. Gagnol, *Le Moyen-Âge*, Paris, Librairie Vve Poussielgue, 1903, p. 15 : « On peut se dispenser de voir dans la conquête romaine un événement heureux pour les Gaulois. Ce peuple vaillant, généreux, fier, spirituel, industriel, n'avait que faire de la civilisation romaine, et pouvait parfaitement se suffire à lui-même. »
 2. *Archéologie de la France*, Paris, Éditions de la Réunion des Musées Nationaux, 1989.
 3. H. Slim & N. Fauqué, *La Tunisie antique*, Paris, Mengès, 2001. A. Berthier, *La Numidie, Rome et le Maghreb*, Paris, Picard, 1981. B.H. Warmington, *Histoire et civilisation de Carthage*, Paris, Payot, 1961.
 4. R. Mantran, *Les grandes dates de l'Islam*, Paris, Larousse, 1990. C.-A. Julien, *Histoire de l'Afrique du Nord de la conquête arabe à 1830*, Paris, Payot, 1952.
 5. Cf. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, I p. 694-695 s.v. « bombardæ ».
 6. Aquensis, Aquisgranum, *Aachen*.

ERKKI PALMÉN IN MEMORIAM

– scripsit Tuomo Pekkanen –

*Longa defunctus vita decessit Ericus
ille baro Palmén ut conviva satur.*

Liber baro Ericus (Erkki) Palmén,¹ latinista lectoribus Melissæ aliisque vivæ Latinitatis amicis notissimus, 20.2.2012 diem supremum Granivici (Jyväskylä) obiit. Natus erat 17.5.1932 Helsinki nobili gente Palmén, a qua multi viri doctrina clarissimi originem duxerunt. Pater eius Arne J. Palmén (1885-1974) fuit professor chirurgiæ, patruus Ernst Palmén (1890-1971) professor zoologiæ atque rector et cancellarius Universitatis Helsinkiensis, avus paternus Ernst Gustaf Palmén (1849-1919) consiliarius status et professor historiæ. Longum est plures enumerare. Ex gente autem matris nominandus est proavus eius Johan Gabriel Geitlin (1836-1890), rector Lycei Normalis Helsinkiensis eiusdemque magister linguæ Latinæ, qui anno 1883 edidit *Lexicon Fennico-Latinum*, opus egregium, quod in Finnia unicum sui generis diutius quam sæculum fuit. Nova illius lexicæ editio a Societate Litterarum Fennicarum anno 1996 phototypice divulgata est.

Prima elementa Latina Ericus Palmén magistro Antti Siimes, quem grata memoria tenebat, in lyceo didicit. In Universitate Helsinkiensi invenit professorem litterarum Romanarum Edwinum Linkomies, virum magnæ auctoritatis, qui inter secundum bellum mundanum primus minister patriæ fuerat. Ille opera sua principalia Latine scripserat et seminariis suis studentes in usum vivum linguæ Latinæ inducebat. Illo auctore et moderante Ericus ad gradum magistri philosophiæ obtinendum thesimum *De adverbii pronominalibus localibus* scripsit, quæ postea Germanice divulgata (Arctos, n. s. 2, 1958, 104-142) ab Antonio Szantyr (*Lateinische Syntax und Stilistik* 1965, 209) laudatur. Neque postea adverbia pronominalia localia relinquere potuit sed usque novam materiam ex auctoribus colligebat, donec de eis thesimum doctoralem 286 paginarum Latine edidit, quam die 28. m. Novembris a. 1998 in Universitate Granivicensi examini publico subiecit. Opponens officialis fuit professor Birger Bergh Lundensis et dissertatio publica facta est Latine, quod hodie perrarum est et in Finnia forsitan numquam postea fiet.

Examine magistri philosophiæ soluto Ericus institutioni linguæ Latinæ se totum dedidit. Postquam in quibusdam lyceis docuit, anno 1961 lectoratum linguæ Latinæ in Universitate Granivicensi obtinuit eoque munere usque ad 1997 fungebatur, quo emeritus factus est. Cum libri scholastici, qui in institutione Latina adhiberentur, iam obsolevisent, Ericus una cum qui-



busdam collegis novos ad mutatas scholarum condiciones aptiores scribere cœpit. Ab hoc labore quamdiu vixit non cessavit.

Potissimi ex libris scholasticis Latinis, quorum coactor fuit, sunt *Elementa linguæ Latinæ* (1966), *Exercitia adiuncta* (1969), *Ad fontes I-III* (1981-1983), *Clavis Latina I-III* (2004-2006), *Ianua Latina* (2009). Cum versione Finnica et commentariis edidit selecta *Carmina Horatii* (1989) eiusdemque *Artem poeticam* (1992). Ultimus ex libris Erici, una cum aliis Finnice scriptus, est *He tekivät Rooman* (Illi Romam fecerunt 1911), in quo 34 Romani antiqui describuntur. Addendum est, quod fuit etiam unus ex editoribus *Actorum IX Conventus ALF* (edita Romæ 1998 et 2002) Granivici 6.-13.8.1997 habiti. Lectiones de lingua Latina et de cultura antiquorum et in patria et in seminariis conventibusque peregre convocatis libenter faciebat quamdiu vires sinebant.

Proprium omnium textuum Latinorum, quos Ericus scripsit, est quod errores grammaticales in eis non inveniuntur. Erat solus et unicus ex Latinistis quos novi, qui in syntaxi Latina non erravit, immo errores aliorum, si casus postulabat, delicate corripuit. Scripsit prosam Latinam Ciceronianam, quam nisi ex rebus tractatis a stilo antiquorum vix discernas. Etiam disticha Latina amicis dedicata pangebatur, quæ quidem numquam divulgavit. Proprietas eius forsitan minus nota erat, quod aurem musicalem absolutam habebat. Si instrumenta musicalia Erico præsentibus erant syntoni-zanda, diapason non erat necessarium, nam quemvis sonum purissime canere vel sibilare poterat. Expertus scio. Amabat musicam classicam, iuvenis etiam fidula maiore (violoncello) cecinerat, quod postea deposuit

IN MEMORIAM

quia, ut ipse dixit, coordinationem motoriam quæ sufficeret, non haberet.

Erat amicus fidelissimus, erga collegas familiarisque liberalis, in se ipsum parcus. Vixit modeste et frugaliter, quia talem vitæ modum amabat. Cum infarctu cerebri et cancro affectus in nosocomio Granivicensi iaceret, una cum Reijo Pitkäranta 18.1. eum visitavimus, ut ultimum vale collegæ et amico diuturno diceremus. Sciebat sibi mortem, quam spera-

ret, imminere et dixit se ex vita sicut convivam saturum abiturum esse. Etsi difficulter loquebatur, monuit sibi in ordinatio esse versionem historiæ Livianæ, quam perficere non potuisset. ☪

1. Photographema, quod Pia Tervoja fecit, ex interreti sumptum.

ERICI PALMÉN, PRÆCEPTORIS CLARISSIMI IN MEMORIAM

– *verba simplicia dat discipulus pristinus Samius Jansson* –

Doctor philosophiæ Ericus Palmén et præceptor noster Veneris die ante diem XIII Kal. Feb. hanc vitam mundanam reliquit, quod nos omnes discipulos eius dolore affecit maximo. Dum ipse de ægrotante Erico audivi II die ante Natalicia, tunc statim misi litteras ad eum in nosocomio iacentem ardentissime sperans fore, ut carissimus præceptor mox valetudinem suam recuperaret. Sed pessimos nuntios audivi quatuor fere septimanis post.

Ericum primum cognovi Granivici ubi iuvenis philosophiæ magister decennio -90 cupivi pergere studia mea Latina, quæ iam anno 1994 inceperam Aboæ. Tunc ei dixi me non sine auxilio lexicæ posse Latine scribere vel loqui, sed Ericus respondit se ipsum etiam aliquando debere aperire lexicon. Postea autem certior sum factus illud valde raro quidem accidisse, nam mirum in modum Ericus expeditissime lectiones suas potuit exemplis vivis illustrare sic tractis ab auctoribus pristinis ut etiam a recentioribus. Quodam die, postquam iam admodum multas lectiones eius auscultaveram, Ericus mihi obviam venit in androne instituti Romanarum linguarum universitatis Granivicensis et inopinate Latine mihi loqui incepit. Ipse Latine respondi, quamvis Latinitas mea barbarismis conferta esset. Tunc e sua officina egressa est domina Outi Merisalo, quæ profestrix est Romanarum linguarum, rogans «Quis hic Latina verba profert?» Et Ericus dixit «Sed lingua Latina viva floret, ut bene scis, mea collega optima.» Aboæ didiceram pronuntiare [*kaisar*] cum de Iulio Cæsare aliquid dicerem. Granivici intereram de Latinitate archaica lectionibus Erici, qui accuratissime tunc exposuit rationes de mutatione linguæ Latinæ pronuntiationis. Ipse Ericus ratione, de qua narrat



Varro in opere suo *De Lingua Latina*, prætulit Latina verba proferre, nam ea ratio certius in foro Romano tempore Augusti in usu erat quam ratio parvi numeri eruditorum et poetarum. Anno 2007 cum Erico Granivici Latine sum locutus in festo vernali Latinæ linguæ studentium. Quamvis postea occasio nobis non sit data Latine loquendi, inter nos litteras mittere pergebamus, ut iam antea. Et Ericus semper laudavit meam industriam symbolas Latinas scribendi in Melissa divulgandas. Post Ericum Latinitas Finnica nunc afflicta videtur esse gravissimo ictu, ac Erici locum vacuum nemo nostrum potest implere, nam, ut mihi videtur, eius Latinitas sine dubio erat longe doctior quam quod ullus linguæ Latinæ studens in scholis vel universitatibus Finnicis hodie potest attinere. Requiesce in pace, præceptor noster præclare. ☪


In hoc fasciculo !

- Spes nova in Academia Romana* [G. Licoppe] p. 1
Albertus Chiari philologus idemque in adulescentia poeta Latinus [Th. Sacré] p. 3
De matre [V. Czapiewski] p. 5
Pro mortuis nihil nisi bona [F. Deraedt] p. 6
De titulis quibusdam Bruxellensibus recentiore ætate Latine appositis [V. Jenniges] p. 8
De colonizatione [G. Licoppe] p. 11
Erkki Palmén in memoriam [T. Pekkanen] p. 15
Erici Palmén, præceptoris clarissimi in memoriam [S. Jansson] p. 16

Imago tegumenti : Bruxellæ, Porta Flandrensis, in:
L. Van Neck, Vieux Bruxelles illustré, Bruxelles, Oscar Lamberty, 1909.

Futurum iter Latinum !

Melissa lustrationem vobis proponit insulæ Cypri



Solum in parte Græca pernoctabimus et solum in duobus lautis deversoriis; deversorium ergo non erit cottidie mutandum. Vitæ condiciones in Cypri parte Græca similes sunt eis nostrarum regionum. Mensis September eo eligitur, quod tunc minor est et periegetum frequentia et solis ardor.

De programmate condicionibusque plura in sede interretiali:

<http://www.fundatiomelissa.org> > futurum iter Latinum

Si quis hoc proposito allicitur, nos quam primum certiores faciat.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

